

E P I S T O L A

uidentia dei homines quosdam ingeniosos suscitauit, qui imperitis & oscitantibus istis uim nature erueret & per eam opificis admoneret, inter quos alij alias naturae tractauerunt partes, sed nemo proprius accessit & plus autoritatis sibi conciliauit quam hi, qui coeli & terrae situm descripsierunt. Et quanquam plurimi fuerint qui id conati sunt, nemo tamen perfectius excellentiusq[ue] hanc inaccessam naturae attigit partem quam Ptolemaeus. Hic enim mente in coelum descendens & omnes motuum eius rationes obseruans, & quae humani ingenij uires ferent excedunt inuestigans, tam abstrusa & arcana sublimiaq[ue] de planetarum, octauarum & nonarum spherae motibus adiuuenit, ut uere pro miraculo habendum sit, hominis imbecillitatem eò peruenisse. Et nisi hec omnia euidentibus demonstrationibus & certis futuris euentibus comprobarentur, nempe lumenarium & planetarum coniunctionibus, oppositionibus & obscurationibus, nemo non pro commento haberet, tot & tam uarios ponere progressionis, renovationis, retrogradationis, trepidationis, deuiationis, inclinationis & reflexionis motus, quibus coelorum inequalis saluator agitat. Inquam agitationem uoco eccentricorum orbium reuolutionem, quae respectu proprii ceteri regularis est, & respectu ceteri mundi irregularis. Porro ubi hec superioris orbis in accessa pars lustrata & numeris suis signata comprehensa fuit, facile licuit deinde correspondentem & concentricam terram eisdem illis coelestibus cancellare lineis & circulis, & ex recta obliquaque horizontis & aequatoris intersectione & poli diuersa altitudine designare climata, parallelos, latitudines & longitudines, atque eisdem inscribere cognitas terras, montes, rama, maria, insulas, urbes, castella, solitudines & reliqua id genus, que in superficie terrae & marium eminent. Et hic quidem Ptolemeus noster super omnes mortales egregie suum exercuit ingenium, sed non potuit tam feliciter eam absoluere partem ut priorem. Nam constituto eo in uno terrae loco, potuit omnes coeli obseruare partes propter continuum eius motum, non autem sic licuit contueri terram, nec unius homini sufficiunt uires & anni ad peruagandum uniuersam terram. Hinc itaq[ue] est, quod Ptolemaeus terras quasdam ab oriente & meridie atque septentrione in cognitas dimisit intactas, & plurimas, quas ipse non uiderat, ex aliorum relatione utcunque descripsit. Fuerunt & suo tempore quedam terre non admodum culte nec ab exteris nationibus frequentatae, id quod de Germania, Polonia, Moscouia &c. patet, & idcirco non potuerunt diligenter lustrari & damusq[ue] describi. At cum hodie nullus terrae angulus non sit ab hominibus penetratus, per nouas regionum descriptiones facile licuit sarcire, quicquid Ptolemaicis antea defuit tabulis. Celebratur toto orbe terrarum Alexander magnus, quod primus ferent penetrarit Orientem, non nauigio sed pedestri ac tutiori itinere in illo deductus. Sed parua erit illius laus, si comparetur uiris illis, qui nolstro a quo maria etiam incompta sulcare tentarunt & Occidente sua exploratione aperuerunt, innumerarum insulas, hominibus & opibus plenas, in uastissimo mari ad inuenientes, de quibus hacenus nemini mortalium quicquam constitit a duobus millibus annorum & supra, nisi fortassis Indis orientalioribus & uicinioribus comperte fuerint illorum hominum habitationes. Certe nostro & maiorum nostrorum quo nemo inter doctos non putabat tota aquarum uim a principio creationis in illo pelagus reiectam, & aquam ipsam illic in magnam coaceruatam molē, ut possibile non fuerit ibi aridam quoquo modo apparere, sed falsi sunt omnes, qui in hac fuere sententia, cum nullib[us] non in mari emineant insulae, siue ad occidentem ieris siue ad orientem, siue meridiem lustres, siue septentrionem. Quantum uero attinet ad Continentem, multi passim in diuersis orbis partibus prodierunt uiri, qui regiones & terras suas diligenter conscripsierunt, aut suppeditias illis tunerunt.